



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

176. An qui celebrat in calice non conserato, vel ligneo, præter peccatum mortale incurrat aliquam pœnam? Et an calix, qui modicissimum foramen habebat in sundo cuppæ, quod tamen promiserat artifex ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

Ref. 130. & signanter in primis §§.

liorem: at ego addo, quod probabilem illam etiam vocavit ex adversariis Gabriel Vasq. nam in 3. p. q. 83. art. 2. disp. 233. c. 3. n. 3. 2. contrariam sententiam, quam ipse tenet, vocat tantum probabiliorem. Ergo secundum Vasquez, sententia Egidij est probabilis. Ad argumentum Pitigiani in principio positum, respondetur, quod illa noua deauratio censetur consecrata, hoc ipso quo consecratae additur.

## RESOL. CLXXVI.

*An qui celebrat in Calice non consecrato, vel ligneo, prater peccatum mortale, incurrat aliquam poenam? Et an Calix, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppe, quod tamen promiserat artifex ita artificiosè concinnare, ut vix prateritus defectus apparere posset, idque sine ulla Calicis immutatione, an inquam, in tali casu consecrationem amiserit? Ex p. 11. tr. 8. & Misc. 8. Ref. 31.*

Sup. doctrina contenta in primis sex lin. huius Ref. lege Resol. post præteritam, & alias eius primæ not. quamvis nõ dicant plenè sup. hoc.

**S. 1.** **A**D hoc dubium negatiuè respondet doctus P. Tamburinus opus. de sacrificio Missæ, lib. 1. cap. 1. §. 3. num. 1. cum seq. vbi probat, peccatum mortale committi à celebrante in Calice, vel patena non consecratis, quia fit contra præceptum in re graui, certum est. Quare hic solum querimus, an in iure incurratur aliqua poena. Bonacina, sic habet: Contra eum, qui vitur Calice ligneo, aut Calice non consecrato constituta est poena depositionis ab officio, & beneficio, cap. vi. de celebrat. Missar. Hæc Bonacina: quod fortasse sumpsit à Suario, qui sic ait: Et idè in cap. ultimo de celebratione Missarum, deponitur Sacerdos, qui sine sacro Calice consecrauerit.

2. Sed amabo te, adeamus prædictum caput vltimum, & videamus quid Episcopo Prixiensi scribat in illo Honorius Tertius: Lituas (inquit) recepimus, continentes quod cum super excessibus Presbyteri Ecclesiæ Sanctæ Brigidæ inquireres, confessus est, quod cum quadam die hostiam, & calicem non haberet, in pane fermentato, & scypho ligneo Missarum solemniam celebrare præsumpsit. Et infra. Intellecto iterum, quod prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter hædebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessione inuenisti, quod idem sine igne sacrificabat, & aqua. Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur, mandamus, quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum priues. Hæc Honorius.

3. Vbi vides primò, hanc non esse poenam vniuersalem, sed illi peculiari Presbytero inflictam. Secundò, esto eiusmodi poenam velis extendere ad omnes; certè ad omnes similiter delinquentes. At si bene notas, vt notauit ibidem Glossa, Sacerdos ille quatuor peccata commisit. Primò celebravit in pane fermentato, quod non licet in Ecclesia Occidentali. Secundò in scypho ligneo. Tertiò sine igne, hoc est, sine candelis accensis. Quartò sine aqua, vino consecrando commiscenda erat; & contra hos omnes excessus, illa poena priuationis officij, & beneficij fulminatur à Pontifice. Quomodo ergo ad celebrantem in Calice non consecrato tantum, extendere velis? Tertiò, licet qui in scypho ligneo celebravit, supponatur in vase non consecrato celebrasse, & licet item supponamus, in hoc Sacerdotem illum duntaxat, & non in alijs deliquisse, certè, quis non videt minus esse in Calice auro, vel argenteo non consecrato celebrare, de quo casu nos loquimur; quam celebrare in ligneo scypho non consecrato? Cum igitur paria peccata non sint, cur pari poena puniantur? Hucusque Tamburinus.

4. Sed ego non audeo discedere ab affirmatiua sententia Doctorem, quam nouissimè tenet Dicitulus de Sacramento. tom. 1. tract. 5. disp. 4. dub. 9. n. 17. vbi sic ait: Contra eum autem, qui vitur Calice ligneo, aut non consecrato, constituta est poena depositionis ab officio, & beneficio, cap. vltim. de celebr. Missar. in quo Episcopus non potest dispensare, eum sit superior Papa. Ita ille, cui adde Franciscum Lugo de Sac. lib. 5. cap. 8. q. 2. n. 6.

5. Sed hic incidenter queramus, quid dicendum de quodam Calice, qui modicissimum foramen habebat in fundo cuppe, quod tamen promiserat artifex ita artificiosè concinnare, ut vix prateritus defectus apparere posset, idque sine ulla Calicis immutatione? an inquam in tali casu consecrationem amiserit? Et affirmatiuè respondeo cum Tamburino ubi sup. §. 5. n. 1. quia propter illud foramen, vnde sanctissimæ species exudabant, aptum nequaquam remanebat ad sacrificium. Sed tu cogita quid dicendum si foramen factu fuisset in medio, vel principio calicis, nam in tali casu videtur absolutè ineptum remanere ad sacrificium. Ergo.

## RESOL. CLXXVII.

*An si Sacerdos dicat Missam in Altari non consecrato, remaneat Altare consecratum?*

*Et an possit Sacerdos celebrare in Calice, & Patena nondum consecratis, & cum vestibus non benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis antea celebravit?*

*Et quid etiam, si Sacerdos celebrasset mala fide? Idem asseritur de Patena, de Corporali, de Pice, de Custodia, seu Sphæra immediatè tangentibus sancta species. Idem de Ecclesia violata, quod reconsecratur, nempe sacrificium Missæ ibi celebratum. Ex p. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 18.*

**S. 1.** **A**ffirmatiuè ex Pasqual. respondet Bordonum. tom. 2. resol. 83. n. 19. tum ex D. Chrysol. mil. 20. in 2. ad Corin. ibi: Lapis quidem natura est sanctum autem fit quoniam Corpus accipit Christi. Sed tunc lapis, seu altare dicitur accipere Corpus Christi, quando in eo celebratur: ergo celebratione consecratur: tum quia consecratur altare, vt receptione virtutis spiritualis reddatur aptum ad diuinum cultum: sed magis redditur aptum per contactum Corporis Christi, quàm per verba formalia consecrationis: ergo celebratione consecratur; non enim minus operatur factum, imò plusquam verbum, & non tantum, s. s. rem ratam habet.

2. Nota ex dictis Bordonum, ubi sup. n. 5. aduersus Dominum meum de Lugo, docere, me citato, quod si aliquis diceret Missam in Calice non consecrato, Calix consecratus maneret: quod etiam præter Doctores à me alibi in mei fauorem adductos, tenet hanc sententiam ex Soc. I. E. su. P. Ant. de Elcobar in Theol. moral. tr. 1. exam. 1. præc. 1. Eccles. 4. n. 95. vbi sic ait: Adde posse Sacerdotem celebrare in Calice, & Patena nondum consecratis, & cum vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsa interea celebravit, quia in prima celebratione iam fuerunt consecrata. Ita ille. At Bordonum ubi sup. tenet hanc sententiã, etiam si Sacerdos celebrasset mala fide, quod etiam docet Eman. S. à verb. Eccles. n. 19. quia consecratur bona, aut mala fides Calicem non consecrat aut ex bona, sed Sanguis, & Corpus Iesu Christi in ipso, & Patena ministrat: & sicut Sacerdos ad huiusmodi rituale consecrationem nihil confert, cùm tota pertinet ad consecrationem Sacramenti, ita neque illius bonum.